

quod est servandum, quoties legitur Evangelium in Missali, Sacerdoti respondet; responso *Deo gratias*, tollit Missale cum legili, et remittit in cornu Epistolae, extincta prius candela in cornu Evangelii; et sublato a legili Missali, extinguit pariter, quae est in cornu Epistolae, et descendit in planum se collocans ad dexteram Celebrantis.

**632.** Si vero legendum sit Evangelium S. Ioannis, manet in suo loco genuflexus: ad benedictionem se profunde inclinatur, et postquam responderit *Gloria tibi Domine* surgit, et sumpto de Altari Missali subsistit in cornu Epistolae, factaque simplici genuflexione ad verba *Et Verbum caro factum est*, ac responso *Deo gratias*, transit ad cornu Evangelii ad extinguendam candelam, extinguit postea quae est ad cornu Epistolae, et descendit in planum, ut supra: ac facta simul cum Sacerdote reverentia profunda, vel genuflexione, ipsum praecedens redit ad Sacristiam.

**633.** Sacristiam ingressus se ponit ad sinistram Sacerdotis, et facta reverentia primum Cruci, deinde ipsi Sacerdoti, deponit Missale: tum Sacerdotem adiuvat in deponendis sacris paramentis, quae supra mensam deponit, ut postea remittat in locum proprium, quae remittenda sunt.

**634.** Sacerdoti exuto ministret in lotionem manuum; ipsi, si id requiratur, pallium humeris imponat, et dexteram osculetur.

**635.** Plicet deinde et reponat, si in loco assignato ponenda sint, Amictum, Albam, Cingulum, et purificatorium, et postea pergat quo iturus est.

§ III. — *De officio Inservientium Missae, in qua fit incensatio Altaris.*

**636.** Cum nobis ex SS. RR. Congregationis Rescripto concessum sit, iuxta antiquam consuetudinem Ordinis, quando Missa conventualis celebratur cum aliqua maiori solemnitate, etiam sine cantu, ut in ipsa fiant incensationes Altaris<sup>1</sup>; tunc non unus tantum Clericus, uti innuunt Constitutiones nostrae, sed praeter Acolythos et Thuriferarium cottis indutos, tamquam Caeremoniarius Sacerdos, vel saltem Diaconus, superpelliceo indutus huic Missae adsistat.

**637.** Clerici ad officium Acolythorum destinati exequentur in praxi caeremonias, quae in Missa privata, seu lecta adimplenda sunt, quibus addent sequentia:

**638.** Sacristiam ingressi superpelliceum induant: et, nisi iam parata sint omnia, praeparent quae ad sacrum opus necessaria sunt. Caeremoniarius, vel etiam Sacrista, praeparet Calicem et Missale, Thuriferarius thuribulum et naviculam cum incenso et cochleari.

**639.** Rebus dispositis, Calix et Missale vel ab Acolythis vel a Sacrista deferuntur super credentiam in cornu Epistolae.

**640.** Interim Sacrista aut alius candelas accendit, et Acolythis ac Caeremoniarius Sacerdoti assistunt in induendis paramentis.

**641.** Thuriferarius tenens thuribulum manu dextera, digito annulari immisso in anulum positum in summi-

<sup>1</sup> S. Rit. C. 17 Dec. 1888; ad 3.



tate capuli, qui catenas sustinet, et pollice in illum, qui regit catenulam operculi, ut thuribulum aliquantulum apertum maneat: et sinistra naviculam clausam, quasi pectori admotam, stet a tergo Sacerdotis.

642. Cum tempus erit e Sacrario exeundi, omnes simul reverentiam Cruci aut imagini principali faciunt, et ad Altare procedunt hoc ordine: Thuriferarius, thuribulum suspensum tenens, duo Acolythy bini, absque candelabris, et ultimo loco Celebrans, ad cuius latus stet Caeremoniarius.

643. Ad fores Sacrarii primus Acolythus aquam benedictam manu ex vase haustam alteri Acolytho porriget et Caeremoniarius Celebranti, omnesque simul se signabunt, excepto Thuriferario.

644. Thuriferarius cum ad Altare pervenerit, facta Cruci genuflexione, sistet prope credentiam.

645. Duo Acolythy ad latera Celebrantis, primus a dextris alter a sinistris, se disponent; et facta ab omnibus simul genuflexione in plano, uterque geniculabit in suo latere paulo penes Sacerdotem, ipsique respondebit uti in Missa privata. Thuriferarius nec respondet, neque se signat, nec pectus percutit.

646. Caeremoniarius tempore Introitus geniculabit ad latus Epistolae facie versa ad cornu Evangelii.

647. Facta Confessione, Acolythy ascendunt super primum gradum Altaris; Caeremoniarius sustollens partem anteriorem Albae et vestis Celebrantis ascendit Altare una cum Celebrante, ad cuius latus postea in cornu Epistolae eidem adsistit.

648. Thuriferarius eodem tempore, translato antea thuribulo in suam sinistram, ascendit Altare et praebet

naviculam Caeremoniario: elevat inde operculum thuribuli quasi ad medietatem catenularum, tribus digitis manus dexteræ accipit catenulas prope coopertorium, et thuribulum elevat ad altitudinem manus Celebrantis, ut in ipsum incensum immittere possit.

649. Caeremoniarius, tenens manu sinistra naviculam apertam, extrahit cochlear manu dextera et tenens illud in inferiori parte manubrii, osculatur ipsius extremitatem, quam ponit in dextera Sacerdotis ipsam quoque osculando ac dicens: *Benedicite Pater Reverende*. Cum vero Celebrans immiserit incensum in thuribulum, statim cochlear ab ipso recipiat, osculans primum manum, deinde cochlearis manubrium.

650. Imposito a Sacerdote incenso in thuribulo ac benedicto, non autem prius, Thuriferarius relinquens annulum catenae mediae efficit, ut operculum decidat supra thuribulum, quod statim manu sinistra tradit ipso Caeremoniario, dextera ab ipso recipiens naviculam.

651. Caeremoniarius illico thuribulum Celebranti praebet osculans extremitatem catenularum, quam dextera ponit in sinistra eiusdem Celebrantis, et deinde osculatur eius dexteram, cui submittit easdem catenulas parum supra operculum thuribuli.

652. Caeremoniarius tunc solus, elevatam tenens aliquantulum Planetam, ipsum Celebrantem thurificantem Altare comitatur, alia manu pectori iuncta: genuflectendo quandocumque Celebrans genuflectit, vel etiam simplicem reverentiam facit.

653. Thuriferarius, postquam ab Altari descenderit, deposita super credentiam navicula, accipit Missale cum legili, et cum Celebrans incensat partem Evangelii,



illud ponit super Altare. Tunc sumit e credentia naviculam manu sinistra, et se locat prope infimum gradum Altaris versa facie ad partem Evangelii.

**654.** Ad exitum thurificationis, videlicet quum Celebrans frontem Altaris incensat in parte Epistolae, Caeremoniarius Planetam dimittit, et posita manu dextera sub dexteram Celebrantis, ipsam osculatur et recipit ab ea thuribulum, dum sinistra manu recipit capulum seu extremitatem catenularum, quam pariter osculatur. Postea descendit in planum, habens a sinistris paulo inferius Thuriferarium: et ibi Sacerdotem triplici ductu incensat, ipsum ante et post profunda reverentia honorans.

**655.** Thuriferarius tunc accipit a Caeremoniario thuribulum et manet prope credentiam ut prius. Caeremoniarius adsistit Celebranti ad Missam a latere Epistolae, et Acolythy genuflexi manent in primo gradu Altaris.

**656.** Post Epistolam Acolythy surgunt, et ille, qui partem Epistolae tenebat, accedit ad suppedaneum et, accepto Missali, descendit in planum, et, facta una cum altero Acolytho genuflexione in medio, illud locat super Altare ad cornu Evangelii, et descendens locum tenet, quem habebat alter Acolythus, qui, peracta genuflexione, alteram partem adit.

**657.** Dum Celebrans legit Evangelium, Acolythi stant in locis suis.

**658.** Nec liber Evangelii nec ipse Celebrans incensentur, quia haec incensatio locum habet solum in Missa proprie solemni cum Ministris paratis.

**659.** Dum Celebrans legit Evangelium vel dicit *Credo*, Caeremoniarius accipit de credentia Calicem et

defert ad Altare ubi explicat Corporale, bursam locat versus cornu Evangelii. Manebit ibidem scilicet in medio aliquantulum versus partem Epistolae.

**660.** Dicto a Celebrante ad Offertorium: *Oremus*, Acolythy surgunt, et facta genuflexione in medio, ambo procedunt ad cornu Epistolae. Ibi primus ascendit ad suppedaneum et accipit de manu Caeremoniarii velum Calicis, quod defert ad credentiam; interim secundus extendit super Altare manutergium, super quod ponit pelviculam cum ampullis. Reversus primus Acolythus ascendit ad primum gradum, et more solito ministrat cum osculis vinum et aquam Caeremoniario, reddens ampullas secundo, qui ipsas reponit super credentiam simul cum pelvicula, super quam relinquet ampullam aquae, ponens manutergium ad sinistram pelviculae implicatum.

**661.** Recedente Celebrante ad medium Altaris, recedunt et Acolythy ad planum prope gradum Altaris; interim ascendit Thuriferarius porrigens naviculam Caeremoniario ut prius. Imposito incenso et reposita navicula super credentiam, pergit ad latus Evangelii et amovet Missale.

**662.** Ad incensationem Oblatorum, Caeremoniarius manu dextera teneat pedem Calicis et sinistra Planetam, et facta genuflexione amovet Calicem ad partem Epistolae, et incensata Cruce reponit suo loco; iterum genuflectit et Celebrantem comitatur.

**663.** Thuriferarius, absoluta incensatione a parte Evangelii, reponit super Altare Missale, et pergit ad latus Epistolae, et dum Caeremoniarius incensat Celebrantem, se sistens paulo inferius, Caeremoniarium a sinistris, a quo accepto thuribulo, manebit prope cre-



dentiam. Si vero in Sacristiam reverti debeat, ut in fine Praefationis redeat cum deferentibus intorticia, peracta prius in eorum medio genuflexione respective reverentia se sistet prope credentiam.

664. Caeremoniarius incensato Celebrante adsistit Missali ad latus Evangelii, et Acolythi aquam et manutergium ministrant Celebranti pro lotionem manuum, quo facto in locum suum redeunt.

665. Dum Sacerdos manus extendit super Oblata, Thuriferarius vel per seipsum vel per Caeremoniarium immittat incensum in thuribulum; et navicula posita vel super credentiam vel super gradum infimum Altaris, maneat genuflexus in cornu Epistolae ad incensandam ter Hostiam et similiter Calicem.

666. Ante Elevationem Caeremoniarius accedit ad dexteram Celebrantis, et ibi in superiori gradu Altaris genuflexus, dum Sacramentum elevatur, attollet partem posteriorem Planetae, dum Celebrans genuflexionem facit, et primus Acolythus campanulam pulsabit. Thuriferarius vero tum Hostiam, cum Calicem thurificat, ante et postea se profunde inclinabit.

667. Post Elevationem Thuriferarius in medium redit inter deferentes intorticia, qui surgentes simul genuflexionem simplicem facient, et ad Sacristiam revertentur. Thuribulo deposito (non enim amplius eo opus est), Thuriferarius redibit vel in Chorum, vel ad Altare, se sistens genibus flexis prope credentiam, aut in primo gradu Altaris laterali in cornu Epistolae; Acolythi autem ad Altare reversi, facta in medio genuflexione una cum Thuriferario, geniculabunt hinc inde super primum gradum Altaris; Caeremoniarius vero ad librum accedit

in cornu Evangelii, ubi manet usque ad *Agnus Dei*, vertens folia quoties opus erit.

668. Dicto a Celebrante *Agnus Dei*, Caeremoniarius, facta genuflexione, sumat ex credentia instrumentum pacis et purificatorium, ascendat ad suppedaneum Altaris a cornu Epistolae, et ibi genuflexus, postquam Sacerdos recitaverit Orationem *Domine Iesu Christe, qui dixisti* etc. et osculatus fuerit Altare, praebeat idem instrumentum osculandum ipsi Sacerdoti, cui ad verba *Pax tecum* respondebit: *Et cum spiritu tuo*; et assurgens, facta ibidem genuflexione, descendet, et stans dabit osculandum duobus Acolythis dicens: *Pax tecum*, et similiter Thuriferario, si adsit, respondentibus singulis: *Et cum spiritu tuo*.

669. Deinde, facta in medio genuflexione, ipse Caeremoniarius et non unus ex Acolythis nec Thuriferarius, idem instrumentum pacis deferet ad Chorum, pacem singulis daturus.

670. Cum ad Chorum pervenerit, nulla facta reverentia (quia praesente SS. Sacramento nulli debetur reverentia), praebeat osculandum instrumentum pacis digniori stans, etiamsi sit Minister Generalis aut Provincialis; postea Sacerdotibus ad latus Superioris seu dexterum, deinde ad sinistrum: postea prosequatur pacem offerens Clericis, et tandem Laicis; nunquam vero saecularibus cuiuscumque gradus, praeter Magistratus in forma solemni assistentes. Post quodlibet osculum tabellam pannulo albo abstergat. Demum in Presbyterium redeat, et ibi instrumentum coopertum deponat super credentiam.

671. Postquam Celebrans sacram Hostiam sumpserit, primus Acolythus surgat, et, peracta genuflexione,



procedat ad credentiam, pelviculam cum ampullis deferat ad Altare ad purificationem et abluionem more solito Celebranti administrandam, et ad credentiam reponat; deinde transeat ad medium Altaris in plano.

**672.** Alter Acolythus interea surgit, ascendit ad Altare, et sumpto Missali cum legili descendit et ipse in medium, ibique simul cum primo Acolytho genuflexione facta, Altare ascendit, et deponit Missale in cornu Epistolae; adinvento in ipso quod legendum est a Celebrante, descendit et geniculat proprio loco.

**673.** Interim Caeremoniarius Altare ascendit ad sinistram Celebrantis, purificatum calicem a Celebrante accipit, cooperit illumque in medio collocat, vel ad credentiam defert.

**674.** Si quid temporis supersit, Caeremoniarius Celebranti ad Missale adsistat illudque, dicto Postcommunionem seu Postcommunionibus, claudit; deinde pergit ad cornu Evangelii ubi, genibus flexis accepta benedictione, tenet tabellam Evangelii dum Celebrans illud legit, semper stans, etiam ad *Et Verbum caro factum est.*

**675.** Si ultimum Evangelium legendum sit in Missali, dicto a Celebrante *Ite Missa est*, surgit primus Acolythus: facta genuflexione, ascendit ad Altare, sumit Missale more solito, et defert in cornu Evangelii. Uterque Acolythus inde genuflexus suo loco benedictionem recipit, et inde surgens stat usque ad Evangelii finem (Caeremoniarius vero ad Missale in eodem cornu Evangelii): quo expleto, secundus Acolythus tollit Missale cum legili et illud in cornu Epistolae remittit clausum, apertura ad medium Altaris conversa.

**676.** Cum Celebrans ab Altari descenderit, peracta cum ipso genuflexione, ad Sacristiam revertuntur eodem ordine quo venerant; ibi facta primum reverentia Cruci, deinde Celebranti, illum adiuvant Acolythi in deponendis sacris vestibus; et ipsius postea osculata dextera, superpelliceum deponunt.

**677.** Ubi Caeremoniarius haberi nequit, primus Acolythus eius vices supplebit quoad solas incensationes, quin tamen Celebranti ad eius latus adsistat, folia Missalis vertat, Calicem detegat ante Offertorium et tangat ad incensationem Oblatorum etc. Et si duo simpliciter sint Clerici inservientes, partes Thuriferarii faciet similiter primus Acolythus, thuribulo vel in Choro vel ad credentiam deposito.